



**Perfectio Christianorum. Iesum Christum Dominum nostrum a  
Patre coelesti datum esse mundo saluatorem, in quo fideles  
veluti in compendium recollecta habeant omnia quae ad  
veram pietatem discendam ... pertinent, ita vt nihil opus sit ea  
aliunde colligere, ad ... Francoru[m] regem Henrychum eius  
nominis II**

<https://hdl.handle.net/1874/401951>

PERFECTIO CHRIS-  
TIANORVM.

IESVM CHRISTVM  
DOMINVM NOSTRVM A  
patre cœlesti datum esse mundo sal-  
uatorẽ, in quo fideles ueluti in com-  
pendium relecta habeant omnia  
quæ ad ueram pietatem discendam,  
uitamq̃ uerè beatam cõsequendam,  
& retinendam pertinent, ita ut nihil  
opus sit ea aliunde colligere, ad Chri-  
stianissimum, eundemq̃ potentissi-  
mum Francorũ regem *HEINRY-  
CHVM* eius nominis II. Hein-  
rychi Bullingeri demõ-  
stratio.

*I E S V S.*

*Hic est filius meus dilectus, in quo placata  
est anima mea: ipsum audite.  
Matth. XVII.*

PERFECTIONE CERI

STANWONM

IESVM CHRISTVM

DOMINVM VOTVM

patre coelesti datur esse magis sal-

uatore in quo habet vitam in com-

pendium relecta habet omnia

que ad vitam pertinent dicitur

utrumque habet vitam corpoream

& eternam peruenit in utroque

nomine caritate colligitur ad huc

etiam in caritate colligitur ad huc

etiam in caritate colligitur ad huc

etiam in caritate colligitur ad huc

etiam in caritate colligitur ad huc

etiam in caritate colligitur ad huc

etiam in caritate colligitur ad huc

etiam in caritate colligitur ad huc

etiam in caritate colligitur ad huc

etiam in caritate colligitur ad huc

etiam in caritate colligitur ad huc

etiam in caritate colligitur ad huc

etiam in caritate colligitur ad huc

etiam in caritate colligitur ad huc

etiam in caritate colligitur ad huc

etiam in caritate colligitur ad huc

etiam in caritate colligitur ad huc

3

CHRISTIANISSIMO EI-  
demq̄ potentissimo Francorum re-  
gi Henrycho eius nominis II. do-  
mino suo clementissimo  
felicitem in  
Christo.



**C**OGITANTI mihi cui  
maxime dedicarem Demon-  
strationem illam meam de Ie-  
su Christo, Christianorum per-  
fectione unica, perpetua & absolutissima,  
tu mihi Rex potentissime occurrebas ante  
alios, tum quòd unus inter omnes principes  
salutaris ab omnibus Rex Christianissimus,  
tum quòd reges Francorum hanc ueluti pe-  
culiarem sibi uendicant sententiã, **CHRIS-  
TVS VINCIT, CHRISTVS  
REGNAT, CHRISTVS IM-  
PERAT.** Eam uerò, utcunq̄ breuis &  
exilis sit liber ille meus, explanat, Christuq̄  
dominum unice predicat. Demonstrat enim  
Christum dominum nostrum uictorem esse  
illum maximum mundi, peccati, mortis, sa-

## 4 AD HEINRYCH. II.

thana, inferorum omniumq; malorum: per quem & fideles omnes omnia illa vincant. Vicit Christus semper omnes hostes suos, cum visibiles tum inuisibiles, et vincit etiam hodie omnem potestatem aduersariam, asserens & vindicans fideliter omnes sibi toto corde credentes. Ostendit item liber noster Christum regnare super omnem creaturam, quæ in cælo & in terra est, regnare super omnes reges & super omnia regna mundi, adeoq; in ipsas conscientias & spiritus hominum. Ipsi enim subdita sunt omnia, & ipse est super omnia, efficiens, ut & fideles eius regnent, regnent autem super mundum, peccatum & sathanam, ne dominetur eis unquam. Viuit enim & regnat in sancta ecclesia Christus dominus: ideoq; & Vicarium nullum habet, qui absentis vicem gerat: Christus enim ecclesie sue presentissimus est. Ipse enim viuit et regnat in omnibus membris suis. Præterea docet hic liber Christum imperare omnibus, imis inquam et summis, Christum imperare quid agat quisq;. Christus

FRANCOR. REGEM. §

stus enim est doctor, dictator & imperator  
unicus, aternus, maximus, cui merito obe-  
diunt omnes creature.

Certè quotquot hunc Christū dominum  
nostrum crediderunt verum, unicum et æ-  
ternum esse victorem, regem & imperato-  
rem omnium fidelium, talem omnino exper-  
ti sunt multa cum felicitate, qualem esse cre-  
diderunt: Quotquot verò huic victori et re-  
gi ac imperatori sese hostiliter obiecerunt in  
petram impegerunt offensionis ac summa  
cum ignominia minutatim dissipati sunt.  
Exempla huius rei cum possem in partem  
vtranzq; proferre plurima, præteritis tamen  
illis unicum modo singulare et excellens cōme-  
morabo. Acceperat à patre Hilderycho  
Francorū rege victoriosissimo, amplissimū  
regnū Ludonicus primus eius nominis, quē  
historici ferè appellāt Clodouenum Magnū:  
at regnum eius inuadunt Alemanni auda-  
ces & nihil territi infelicibus pugnis cum  
Hilderycho rege habitis, adeoq; in medium  
illud nouum Francorum regnum, nempe in

## 6 AD HEINRYCH. II.

Germaniam secundam Tolbiacum usq; instructa acie irrumpunt, sed & manus cum Francis cupide conferere audent. Vbi tanto cum periculo Francorum pugnatum constat, ut nisi Christus rex & imperator sua manu aciem Francicam restituisset ferè colapsam, actum fuisset de regno Francico. Di dicerat autem ex frequētibus colloquijs rex Ludouicus, qui paganismum adhuc sectabatur, cū coniuge Gotthilde Burgundica et Christiana habitis, Christum solum esse & datorem & conseruatorem regnorum, uictoriae, & omnis boni authorem unicum. Hunc ergo inuocabat rex, in tanto proprii capitis periculo, & in tanto totius regni discrimine, ac praesentissimum, fidelissimum, potentissimumq; sensit Christum. Nam uersa vice fatigatos Alemannos fortuna destituit: terga vertunt, & innumera millia à Francis occisione occiduntur, ceciditq; eodie vniuersa gloria & libertas Alemannorum. Franci enim non modo Germaniam primam cum parte Maximæ Sequanorum occupa-

occuparunt, sed etiam traiecto Rheno ueterem Alemanniam, & trans Danubiū Rhetiam primam penetrarunt. Experti ergo Franci ueteres, maxima cum laude & utilitate sua Christi uires, omnes iam posteros suos Francos vnanimis cōclamare docent, **CHRISTVS VINCIT, CHRISTVS REGNAT, CHRISTVS IMPERAT**, huicq; presentissimo auxiliatori credere. Ita enim fiet ut & tu rex potentissime, hostes tuos nullo negotio sis superaturus & regnaturus tranquille.

Nec enim est quod quicquam uel hodie post mille à memoria Clodouei annos, de virtute & beneuolentia Christi addubitet, pietas tua, rex Christianissime. Vincit, regnat & imperat Christus etiam hodie, & uictor, rex & imperator manebit Christus in secula seculorum. Quinimo tibi & regno tuo sese promissionibus per Euangelium (si modo uerbis eius credetur) astrinxit, & tu cum uniuerso regno tuo, & cum alijs per orbem fidelibus regnis per sanctum baptis-



## 8 AD HEINRYCH. II.

ma religionisq; vinculū vni Christo quā  
 arctissime copulatus & connexus es Chri-  
 sto: ergo domino et monarchæ summo cum  
 tuis adhereto, ab illo omnia bona expecta-  
 to. Grandia et inexplicabilia pericula mun-  
 do iam corruenti impendent. Rara est fides  
 inter homines. Bella excitant atrocissima,  
 qui antistites pacis videri volunt. Vndiq; ir-  
 ruunt in nos calamitates. Nihil est tutum in  
 toto hoc orbe: referta malis omnia. In Chri-  
 sto autem solo tanquam in thesauro conclu-  
 sa sunt bona omnia, effundunturq; Dei bo-  
 nitate in omnes credentes, qui soli inter tan-  
 ta mala tuti & securi in Christo acquie-  
 scunt. Id quod libro hoc meo declaro, quem  
 licet tenuem & breuem, regia tua maiesta-  
 te indignum minime iudicabunt, quotquot  
 ipsum ex argumenti præstantia, non uerbo-  
 rum copia æstimauerint. Christum enim præ-  
 dicat, à quo tu ornamentum consequutus es  
 longe præstantissimum, vt appelleris Rex  
 Christianissimus. CHRISTVS IE-  
 SVS filius Dei & semper beatus & inte-  
 meratus

FRANCOR. REGEM. 9

meratæ virginis Mariæ, victor, triumphator, rex & imperator, monarcha cœli & terræ, concedat tibi, rex optime, sapientiam Solomoniam, vitam prolixam et felicem, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, & quæcunq; vota tua sunt. Tiguri in primaria Heluetiorum vrbe. Mense Septembri, Anno salutis nostræ 1551.

R. T. M.

deditissimus

H. Bullingerus Tigurina ecclesiæ minister.

RODOLPHVS GVALTH-  
therus Tigurinus.

Vnius ob noxam peccati crimen in omnes  
Permeat, & mortis nos facit esse reos.  
Vnius ob meritũ, suspensi ex stipite, Christi,  
(Credere si possis) vita salusq; datur.  
Expiat ille graui depressas crimine mentes,  
Placat & irati fulmina dira patris.  
Tartareasq; domos deuicta morte subegit:  
Ad patrem referens clara trophœa suũ.  
Hic meo est amor, hic reſes, hic firma salutis  
Ancora, tum vitæ portus & aura mee.

PERFECTIO CHRISIANO-  
rum, ad Christianissimum Franco-  
rum regem Heinrychum  
secundum.



NON uideo (uiri, patres & fratres uenerandi, & filij dilectissimi) in periculis & mutationibus, quibus hodie Christi concutitur ecclesia, & in tanta sententiarum de ueritate fidei uarietate, deniq; in expectatione declarationis Concilij illius Tridentini, remedium præsentius, antidotum præstantius, efficaciorēq; consolationem, & portum tutiorē, in quem se omnes pij recipiant, quàm syncerā & simplicem Iesu Christi filij Dei, & uirginis Mariæ, domini nostri cognitionem. Etenim si simpliciter teneamus & toto corde, radicati in ueracissimo æterni Dei uerbo, credamus Iesum Christum dominum nostrum, Dei filium, à patre cœlesti datum esse mun-

do saluatorem, in quo fideles, ueluti in compendium recollecta habeant omnia, quæ ad ueram pietatem discendam, uitamq; uerè beatam cõsequendã & retinendã pertinent, ita ut nihil opus sit ea aliud colligere, aut de falsitate eorum, quæ his contraueniunt addubitare, quid obsecro commouebit aut cõturbabit nos mundi furor, persequentium truculentia, disceptantium rabies, sententiarumq; collisio, atque in diuersum inclinantium definiendumq; potentia & auctoritas uel præstantissima? Semper enim ad Christum, tanquam ad asyllum uitæ & salutis, & ad perfectionẽ absolutissimam recurremus, atq; in hoc uno tràquilli acquiescemus, cõfidentes in hoc uno uere reposita esse fidelibus omnia uitæ & salutis, & extra Christum non inueniri uspiã quicquã ueritatis, uitæ & salutis uerè, imò mirabimur cum stupore quodã mundi extremam illam dementiam, qua conciti,

conciti, cum uulgares tum uulgi pro-  
 cures, in his salutem quærunt, in qui-  
 bus nunquã fuit, & ne nunc quidem  
 est, imò in quibus nunquam futura  
 est, & iccirco in eis nullo modo inue-  
 niri potest. Sibi ergo caussa errorum,  
 dissentionumq; & malorũ omnium  
 homines sunt, dum à uero scopo no-  
 bis à patre cœlesti proposito aber-  
 rantes, compendium bonorum om-  
 nium Christum, uel prætereunt, uel  
 non recte de ipso iudicantes, repudi-  
 ant, & ipsi sibi suo arbitrio asciscunt  
 atq; confingunt seruatores infinitos,  
 ac religionem omnino duram, ope-  
 rosam, multiplicem, sumptuosam, ad-  
 de & dubiam, & nullis ferè terminis  
 inclusam: iuxta illud Apostoli, Sem-  
 per discentes, nunquam autem ad co-  
 gnitionem ueritatis, & ad portũ tran-  
 quillitatis peruenientes. Certè cum  
 nõ uideatur hodie ulla tractatio ma-  
 gis opportuna & necessaria, quàm il-  
 la ipsa quam commemorauì: statui,

*Propositi-  
o.*

quantum dederit Dominus, & quanto possum compendio demonstrare Deum patrem in filio ecclesiæ suæ omnem dedisse perfectionē, & in hoc uno completos esse fideles, ut alijs ad perfectionem adminiculis nihil opus habeant. Scripturarum autem testimonijs omnia comprobabo, & his ceu fundamento firmissimo imponam, ut eis quilibet, in tentatione quavis, tranquilla mente inniti possit, ipsasq; inferorum portas contemneret. Sit autem scopus & summa omnium eorum, quæ dicenda sunt, illa præclara, & imis reponenda sensibus doctoris gentium, & organi illius selectissimi sententia ad Colossens. dicentis,

*Coloss. I.*

*In filio creata sunt omnia quæ in caelis et in terra sunt, tam uisibilia quam inuisibilia: & omnia in ipso constant: & ipse est caput corporis ecclesiæ: ipse est principium, primo genitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primas*

primas tenens: quoniam in ipso placuit omnem plenitudinem inhabitare, et per ipsum reconciliare omnia sibi, pacificando per sanguinem crucis eius, per ipsum: tam quæ sunt super terram, quàm quæ sunt in cælis. In ipso sunt omnes thesauri sapientiæ & intelligentiæ reconditi. Quoniam in ipso inhabitat omnis plenitudo Dei corporaliter, & estis in ipso completi. Coloss. 2.

HÆC sacrosancta Apostoli Christi *In Christo* uerba sole illustriora, certissimis esse omnē certiora, firmiora quæ firmisissimis, Christi plenitudinis primum omnem principatum & nem. diuinam potentiam tribuunt, dominū quæ in angelos, homines, in omnia regna, & in omnes in toto orbe creaturas: deinde omnia uitæ & salutis absolutæ quæ perfectionis in unico relecta esse, & à fidelibus in uno reperi testificatur. Proinde si omisiss omnibus medijs uis & rationib. quibus homines ad perfectionē consequendam enituntur, in solo Christo acquiescamus,



scamus, certissimi sumus nos in solo Christo solidā & absolutā uitæ, & salutis perfectionē, & consequi & possidere, neq; post ipsum alijs adminiculis opus habere. Imò quis nō uideat nos in consiliū dei eternū, & in gratiam bonāq; eius uoluntatē peccare grauissimè, si non simus unico eius filio ad perfectionē consequendā contenti? Si enim aliquid ad eius uel supra eius perfectionē appetiuerimus, eo ipso cōfitebimur nos Iesum Christum non agnoscere pro unico, absoluto & summo bono. Si enim agnoscimus, quare nō in uno solo acquiescimus? quid perfectioni unicę & absolutissimæ aliud coniungimus? Et quale obsecro, aut quidnā illud est, quod filio Dei coniungere aut adiungere audeamus? Profectò cum pater celestis dicat uerbis disertis, id q; apostoli testes ueracissimi scriptis testificatum reliquerūt, omnem se plenitudinem collocasse in filio, & per hunc

hunc nos complere, ne quid nobis desit, mendacem facere Deum inueniemur, nisi in uno filio omnem queramus plenitudinē. Ioannes apostolus & Euangelista, Si hominibus credimus, inquit, quāto magis Deo credendum est? Qui non credit Deo, mendacem facit ipsum: quia nō credit testimonio, quod Deus de filio suo testificatus est. Atque idem mox addit, Et hoc est testimonium, quod uitam æternam dedit nobis Deus: & hæc uita in filio eius est. Qui habet filium, uitam habet: qui non habet filium Dei, uitam non habet. Nam ipse Dei filius in Euangelio secundum Ioannem sic pronunciaffe legitur, Ego sum panis uitæ: qui uenit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet unquam. Et iterum, Omnis qui bibit ex aqua hac, nimirum fontis Iacobi, sitiet iterum: quisquis autem biberit ex aqua quam ego dederō ei, non sitiet in æternum: sed aqua quam ego

I. Ioan. 5.

Ioan. 6.

Ioan. 4.

Ioan. 7.

dedero ei, fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternam. Saturnum amplius cibum, nullum potum appetit: si cibum & potum adhuc appetit, certè satur non est. Qui uerò in Christum credit, quoniam omni bono satiatur, non potest quicquam amplius appetere, sed acquiescit in Christo mente omnino tranquilla.

*In solo Christo esse omnem plenitudinem.* Nec est quod tergiuersando hæc nobis extorqueant dicentes, esse quidem in Christo plenitudinem datam à patre fidelibus, sed eandem simul communicari & alijs medijs, unde consequens sit nos non perfici in uno & solo Christo. Nã si in alijs quoque, & non in solo Christo perfectio est, uel in his est, æqua cum Christo forte aut portione, aut iniqua. Si æqua, coëquamus ergo ipsa Dei filio, qui hac in causa cõsortis est impatientissimus. Quid autem necesse est perfectionem quærere in alijs medijs, cū in Christo eam ita habeamus, ut illi nobis

nobis in alijs medijs ostendūt. Quis obsecro in secūdo id quærit quodiã accepit in primo? Si uerò iniqua est, quæ malū dementia est à perfectissimo deuolui ad imperfectius, & nō in eo acquiescere, q̄ perfectissimū est? Et quis, oro, credat imperfectū adde re aliquid perfectissimo? Quis nō uideat nō absolutè perfectū esse, quod imperfecti aliquid recipere cogitur? Falsissimum ergo est, quod isti dicūt, ita nos perfici in Christo, ut ad perfectionem nihilominus & alijs medijs, licet inferioribus, opus habeamus. Id quod & Paulus uerbis illis suis modo recitatis disertissimè significauit, In filio, inquit, placuit omnem plenitudinem inhabitare, En in filio dicit, non sine emphasi, quasi dicat, in solo filio. Addit enim, Omnem plenitudinem. Nihil ergo excludit, quod ad perfectā pertinet plenitudinē, omnia plenè in uno concludit. Quibus accedit quod decies breuibus hisce

uerbis recitatis urget, urgendoq; rē-  
petit, Ipse, per ipsum, in ipso: quod  
perinde est ac si dixisset, In uno uel in  
solo Christo. Præterea, Per ipsum, in-  
quit, placuit patri reconciliare om-  
nia sibi: modumq; reconciliationis  
addit, pacificādo per sanguinem cru-  
cis eius. Quis uerò nescit unum, non  
plures esse reconciliatores? Quis ne-  
scit solum Christum crucifixum, in-  
noxium pro nobis cruorem effudif-  
se? Quis ergo dubitat in ipso solo  
nos perfici? Quapropter & Paulus,  
mox post illa uerba iterum inculcat,  
Per ipsum. Et iterum, In ipso sunt om-  
nes thesauri sapientiæ, & intelligen-  
tię absconditi. Item, In ipso inhabitat  
omnis plenitudo Dei corporaliter.  
Certè uerus, essentialis & naturalis  
Deus est Christus dominus noster,  
patri coequalis per omnia, unde &  
perfectio est fidelium. Nullæ creatu-  
ræ diuinam perfectionē habent, nul-  
lę itaque creature fideles perficiunt.  
Rectif-

Rectissimè ergo de filio Dei uero subiungit et cōcludit Apostolus, Et estis in ipso completi. Quid autem operi absoluto & completo addi potest? In Genesi scriptum legimus, Perfecti *Gen. 2.* sunt cœli & terra, et omnis exercitus eorum, compleuitq; Deus die septimo opus suū quod fecerat, & requieuit die septimo ab opere quod fecerat. Operi perfectissimo Dei, ne angeli quidem quicquam addere, uel potuerunt uel debuerunt: & homines peccatores geniti in peccatis aliquid adderent filij Dei perfectioni? Quies deniq; perfectionem consecuta est. Quotquot ergo uerè in Christo completi sunt, in Christo acquiescūt, nec quicquam de alia perfectione cogitant.

Cum hac Pauli doctrina in Christo omnem plenitudinem cōstituentem, consentiunt, ceu cum diuina, orthodoxa & catholica doctrina, præstantissimi quiq; in ecclesia Christi

*Ioan. 1.*

doctores, imprimis Ioannes ille baptista, prophetis maior, qui in Euangelio Ioannis de Christo testificans ait, Hic erat de quo dicebam, qui cum me sequeretur, antecessit me: quia prior me erat. Et de plenitudine eius nos omnes accipimus, gratiam pro gratia: quia lex per Moſen data est, gratia & ueritas per Iesum Christum exorta est. Et idem apud eundem, discipulis suis de Christo loquens, di-

*Ioan. 3.*

cit, Pater diligit filium, & omnia dedit illi in manu. Qui credit in filium, habet uitam æternam: qui nõ credit in filium, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eum. Ad eundem modum docuit & beatus Petrus charissimus Christo discipulus, posteri-

*2. Pet. 1.*

ore epistola dicens, O quàm abundè diuina uirtus omnia nobis largita est, quæ ad uitam & pietatem perti-

*Act. 4.*

nent. Item, Christus est reiectus ille lapis ab ædificantibus, qui factus est caput anguli: nec est in alio quoquam salus.

salus. Neq; enim aliud nomen est sub  
 cœlo datū inter homines, in quo o-  
 porteat nos saluos fieri. Etenim Pau-  
 lus nō modo ad Coloss. sed & ad Ga-  
 latas sic omnia salutis & uitę Christo  
 tribuit, ut refecet omnia alia quæ uel  
 cogitari possunt, Testamento homi- *Galat. 3.*  
 nis, inquit, legitimo & cōfirmato, ne  
 mo addit aut adimit aliquid: ergo ne  
 mo debet de Dei testamēto aliqd ad-  
 dere uel detrahere. Est autē Dei testa-  
 mēto constitutū, q̄ Deus hominibus  
 benedicere uult, & in uno quidē, nō  
 in pluribus. In semine tuo, inquit, be-  
 nedicent omnes nationes terre, Non  
 dicit feminibus, tanq̄ de multis, sed  
 tanq̄ de uno, Et in semine tuo, qui est  
 Christus. Itaq; per solū Christū perfici-  
 mur plenē. Benedictio em̄ maledi-  
 ctiōi opponit, ut auferat illa quæcun-  
 que hæc intulit, farciatq; illa q̄ hæc  
 nocuit. Nephis est autē huic Dei testa-  
 mēto aliqd uel adijcere uel detrahe-  
 re. Orthodoxè ergo sensit, qui olim  
 cecinit,



*Si Christū bene scis, satis est si cætera nescis,  
Si Christum nescis, nihil est si cætera discis.*  
Nam in Christo uerè absconditi sunt  
omnes thesauri sapientiæ & intelli-  
gentiæ, & in ipso sumus completi.

*Præpara-  
menta ad  
Christum  
consequē-  
dum.*

His non ei jicimus uerbi Dei legiti-  
mam prædicationem ex ecclesia, non  
contemnimus preces sanctorū, non  
calcamus sacramentorum Dei admi-  
nistrationem, neq; bonorū operum,  
uirtutum uē studium spernimus, qua  
si hæc foris exercitata, spiritualiter  
Christum possidenti, sint inutilia. Ta-  
met si enim ipsis perfectionem Chri-  
sto soli debitā non tribuamus, usum  
tamen ipsorum sanctum & necessari-  
um in ecclesia confitemur. Docti e-  
nim uerbo Christi agnoscimus inge-  
nuè diuini uerbi predicatione doce-  
ri fidem eam, quæ Christi perfectio-  
nis nostræ nos participes facit. Fate-  
mur precibus pijs, & fidem hanc po-  
stulari, augeri, & pro accepta auctaq;  
agi gratias: sacramentis item ipsius  
Christi

Christi dona & beneficia omnia offerri ecclesiæ, renouari, representari, atq; obſignari: opera uerò uerè bona quæ iuſtitie ſunt, fieri per iuſtificados in fide Chriſti. Manet ergo ſolus Chriſtus perfectio eccleſiæ, & manet ei ſoli gloria eius intacta atq; integra: manent interim & exercitia eccleſiæ ſancta, ab ipſo Chriſto in hoc inſtituta, ut ſint præparamenta, adminicula, & manuſductiones quædam ad Chriſtū, nec non uiuentis in nobis Chriſti argumenta uiua ad gloriam Dei. Iuſtitia ſuum cuiq; tribuit. Tribuamus ergo ſuum Chriſto domino, omnem uidelicet gloriam & perfectionem: tribuamus & exercitijs pietatis ſuum illud, q̄ eis ſcilicet Dominus tribuit, agnoſcentes Deum predicatione & ſacramētis, nec non precibus per ſpiritum ſanctum plantare, & conſeruare Chriſtianam perfectionē: bonisq; operibus ornare iuſtificados ſuos, ac per eoſdē dignos fide fructus edere.

Quòd si uiderimus alicubi his tribui quod solius Christi est, meminimus id minus propriè & ex benigna quadam concessione fieri, quam pietas uera sobriè & religiose exponit.

Quanquam uerò hæc quæ adduxi hæctenus scripturis apertissimis imposita, sint irrefragabilia, tamè ad gloriam Christi asserendam, fidei quæ sinceritatem tuèdam propagandam quæ, pergam per species siue partes, adeo quæ per exempla plurima declarando demonstrare, Deum patrem in filio unigenito solo, omnem dedisse nobis plenitudinem absolutam, ut unum hunc uera fide possidentes, nihil necesse habeant aliunde plenitudinem illam emendicare.

*Omnes si- mus pec- catores et seruamur gratia.* Cōclufit semel scriptura omnia sub peccatum, ut salus concederetur per Christum credentibus. Omnes enim peccauerunt, inquit Apostolus, & egent gloria Dei. Eteñ per unū hominem introijt peccatū in mundū, & per peccatū

*Galat. 3.*

peccatū mors atq; condemnatio: ita *Rom. 3.*  
 ut ex mortalibus nō potuerit sperari *Rom. 5.*  
 ulla uita. Deus ergo qui diues est mi- *Ephes. 2.*  
 sericordia, nec perire uult miserum  
 illum quem cōdidit, hominem cum  
 uniuerso suo genere, filiū unigenitū  
 misit in carnem, ut quemadmodum  
 per unum perierat totū genus homi-  
 num, ita per unum fideles seruarētur  
 omnes. Proinde Iesus Christus Dei et *Iesus est*  
 Mariæ uirginis filius, saluator mundi *Christus.*  
 expectatus, ille Christus, id est, un-  
 ctus est, uerus inquā, unicus & maxi-  
 mus pontifex & rex, primas & caput  
 uniuersalis ecclesiæ. Liberat enim ec-  
 clesiā totā, expiat, regit, protegit et ui-  
 tam suā omnibus membris suis infun-  
 dit. Eteñ Paulus, Christus est caput *Christus*  
 ecclesiæ, inquit, & idē est qui salutē *caput est*  
 dat corpori. Nā & Ioānes Apostolus *ecclesiæ.*  
 dixit, In ipso uita erat. Deus em̄ uitā *Ephes. 5.*  
 nobis dedit in filio, ut qui filiū habet, *Ioan. 1.*  
 uitā habeat. Ipse em̄ dominus testifi-  
 cās ait, Ego ueni, ut oues meæ uitā ha *Ioan. 10.*

beāt, & abūdantius habeant, id est, ut abundātissimè uita participēt. Quis ergo post Christū dominū uiuificantem, & plenissimè quidem uiuificantem, aliud in hoc orbe caput agnoscat? aut quis audebit hanc Christi gloriam, iactando se esse caput uniuersalis ecclesiæ, sibi usurpare, nisi is qui se in tēplo Dei, loco Christi, collocat uenerandum?

2. *Thess.* 2

*Christus  
est uita.*

Vitam uerò parauit dominus ecclesiæ multis erumnis & ipsa morte crucis, factus redemptio, expiatio & satisfactio, iustificatioq; omnium fidelium, in quo habemus plenariam peccatorum indulgentiam, absolutionem uel remissionem, ac hæreditatem bonorum Christi omniū, gaudijq; sempiterni.

*Isa.* 53.

*Act.* 8.

Hæc multa cū certitudine & perspicuitate docuerunt nos prophætæ cum apostolis. Isaias enim, Nos omnes, inquit, tanquā ovis errauimus, unusquisq; in uiam suam declinauit,  
&

& dominus imposuit ei iniquitatem  
 omnium nostrum. Verè languores no-  
 stros ipse tulit, & dolores nostros ip-  
 se portavit: nos autem existimaba-  
 mus eum percussum & humiliatum  
 à Deo: ipse autem uulneratus est pro  
 pter iniquitates nostras, attritus est  
 propter scelera nostra. Castigatio pa-  
 cis nostræ super eum, et liuore eius sa-  
 nati sumus. Ad quæ respiciens bea- *1. Cor. 1a*  
 tus Paulus apostolus, Christus Iesus,  
 ait, factus est nobis à Deo sapientia iu-  
 stitiæq; & sanctificatio & redemptio:  
 ut quemadmodum scriptum est, qui  
 gloriatur, in domino gloriatur. Et ite *2. Cor. 3a*  
 rum, Deus erat in Christo, mundum  
 reconcilians sibi, non imputans eis  
 peccata sua. Eum enim, qui non no-  
 uit peccatum, pro nobis peccatum  
 fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei  
 per illum. Etenim Christus semetip- *Rom. 8.*  
 sum semel obtulit peccatum, id est, *Hebr. 10.*  
 hostiam pro peccato, & unica obla-  
 tione perfectos effecit in perpetuum

*I. Ioan. 2.* eos qui sanctificantur. Est enim propiciatio pro peccatis nostris, nō pro nostris aut tantū, sed pro totius mundi *Christi ab* di. Nam sicut unica est Christi hostia solutio et propiciatio, redemptio, satisfactio siue iustificatio, absolutio & remissio *instifica-* tio ut *vni* peccatorū, ita eadē illa perpetua uel *ca, sic per*petua est. Solus enim remittit peccatum, satisfacit & iustificat, & pro omnibus satisfacit semper, remittit peccatum & omnes credentes semper iustificat. Ascendit enim in coelum, ut semper apareat in conspectu Dei pro nobis, utq; semper sit efficax, recens, & uiua eius redemptio: quæ quidem copiosissimè prosequutus est Apostolus Paulus in epistola ad Hebræos. Idem ad Timotheum, Unus, inquit, est Deus, unus etiam mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum precium redemptionis pro omnibus. Ad eundem ergo omnes peccatores uocans *I. Ioan. 2.* beatus Ioānes, dicit, Filioli si quis peccauerit

cauerit, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustum, et ipse est propiciatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.

Sic autem est Christus fidelium in ecclesia redemptio, iustificatio, satisfactio, absolutio & peccatorum remissio, omniumq; apud patrem mediator & intercessor, ut non admitat ullam creaturam in consortium, cum ipse solus sufficiat seruandis omnibus sibi credentibus. Sed & fideles sentiunt in animis, à spiritu Dei, & fide per uerbum ueritatis edocti, in Christo solo esse omnem plenitudinem: quocirca & in ipso secura mente acquiescunt. Neminem inueniunt in uniuersa rerum natura parem Dei filio, sapientia, potentia, iustitia, bonitate, beneuolentia, promptitudine, dexteritate ac celeritate. Omnia nostra in conspectu suo habet posita: simul atque



cognouit uota uocantium, etiam uo-  
torum compotes efficit. Fideles er-  
go unicè ad unicum Christum con-  
tendunt.

*Peccator* Cum enim fidelis onere peccato-  
*confitetur* rum leuari cupit, fide protinus acce-  
*Christo et* lerat ad uerè summum pontificem  
*absolutio* Christum, sedentem ad dexteram pa-  
*nem ab ip* tris. Huic uni confitetur peccatum,  
*so petit.* quod contra uoluntatem Dei desi-  
gnauit, ab eodem ueniam quoq; uel  
absolutionem postulat, assequiturq;  
fide plenariam. Ipse enim habet ad-  
*Apo. 3.* huc clauem Dauidis, omnem inquã  
potestatem plenariã. Nam ministris  
datę leguntur clauēs ministeriales, et  
denunciatorię remissionis peccato-  
*Luca 17.* rum per Christum à summa illa pote-  
state. Id quod agnoscens leprosus il-  
le Samariticus, cum sensisset se purifi-  
catum uirtute Christi, ad hũc redijt,  
non abiit ad sacerdotes Iudaicos,  
Christoq; sacrificium laudis obtulit,  
solidè ipsi beneficium purgationis  
referens

referēs acceptū. Huic sacerdoti supplices quoque facti sunt peccatrix illa apud Lucam in cap. 7. Petrus negator Christi, et latro suspensus cū Christo in cruce: huic confessi sunt peccata soli, plenariāq; consequuti sunt ueniam, absoluti plenē à culpa simul & pœna.

Pótifex enim noster Christus, Deus et homo uerus, nullos nouit casus referuatos, nullam imponit satisfactionem pecunia redimendā, aut diluendam indulgentijs: p̄inde ad neminem planē confessos relegat, sed ipse protinus supplices sibi factos, cum plenissima potestate, tum à culpa, tum à pœna absoluit. Ideoq; neminem fidelium detrudit post hanc mortem corpoream in ignem purgatorium. Christus enim solus est uir-  
*Christus*  
 tus purgatrix, aspergens sanguinem *absoluit*  
 suum & purificans fideles, ut protinē *plenē à*  
 nus à morte hac corporea, perueniant in uitam æternā. Sic enim latroni *culpa*  
*pœna.*  
*Christus*  
*purgatori*  
*um.*

*Ioan. 5.* supplici dixit, Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradyso. Nam alicubi in Euangelio nō latroni duntaxat, sed omnibus nobis dixit, Amen amē dico uobis, qui sermonem meum audit, & credit ei qui me misit, habet uitam æternam, & in iudicium non ueniet: sed transiuit à morte in uitam.

*Christus* Etenim Christus est dux certissimus, et uia tutissima ad coelos. Ipse enim dixit, Ego sum uia, ueritas & uita. *ad uitam.* Nemo uenit ad patrē nisi per me. *Ioan. 14.* Iccirco cum Simeon ille iustus saluatorem hunc mundi uulnibus teneret corporeis, fidei autem oculis cerneret, mortem, naturæ humanæ alioqui horrendam, ueluti contemnēs, cantauit, *Luca 2.* Nunc dimittis seruum tuum, Domine, secundum uerbum tuum in pace: quia uiderunt oculi mei salutare tuum, quod paraisti proponere omnibus populis, ut lumen mentes illustret gentilium, & gloria sit plebis Israeliticæ. Quomodo ergo non

nō omnia uitę & salutis in uno Christo habemus nobis exhibita à patre, qui credimus illum solum esse caput, uitam, iustitiam, redemptionem, propiciationem, satisfactionem, absolutionem seu peccatorum remissionem, sacerdotem confessionarium, mediatorem & intercessorem apud patrem unicum, hostiam quoq; pro peccatis perfectissimam purgationem quoque & purgatorium, uiam & ducem ad cœlos omnium in ipsum credentium? Sed ne parciores, breuioresq; uideamur in astruendis & illustrandis nostris, adijciam adhuc plura plenitudinis absolutę in Christo exempla.

Christus ecclesię suę doctor est omnium perfectissimus, utpote qui ecclesię omnem ei sapientiam reuelauit, neq; suę doctrinę partē reliquit intactā, atq; ideo plenissimā ecclesię reliquit doctrinā. Vbi uerò inuenias

uel in cœlo uel in terra doctorem ul-  
 la parte conferendum, siue sapienti-  
 am perfectissimam, siue autoritatē  
*Ioan. 3.* summam spectes? Qui è supernis ue-  
 nit, ait Baptista, supra omnes est: Qui  
 è terra profectus est, terrenus est, & è  
 terra loquitur. Qui è cœlo uenit su-  
 pra omnes est: & quod uidit & audi-  
 uit, hoc testatur. Deum nemo uidit  
*Ioan. 1.* unquam: unigenitus filius, qui est in  
 sinu patris, ipse enarrauit. Proinde  
 grandi de causa dixit seruator ad su-  
 os, Vos nolite nocari rabbi, magistri  
*Matt. 23.* nostri, unus est enim magister uester,  
 nempe Christus. Eundem proposuit  
 nobis & pater in monte sancto, dum  
*Matt. 17.* uoce cœlitus delata præciperet, Huc  
*2. Pet. 1.* audite. Ipse uerò ad suos, Vos, inquit,  
*Ioan. 15.* amici mei estis, quia omnia quæ audi  
 ui à patre meo nota feci uobis.  
*Christus* Ex hoc uiuo & pleno fonte diui-  
*loquitur* næ sapientiæ biberunt sancti Dei pro-  
*per pro-* phetæ & selectissimi apostoli Chri-  
*phetas &* sti, primitias spiritus consequuti. Ne  
*apostolos.* que

que enim doctores uniuersalis eccle-  
 siæ essent, nisi per ipsorum ora nobis  
 loqueretur Christus. S. Petrus, De fa *I. Pet. I.*  
 lute nostra exquisierunt & scrutati  
 sunt prophetæ ait, qui de uentura in  
 uos gratia uaticinati sunt, scrutantes  
 ad quem aut cuiusmodi temporis ar-  
 ticulum significaret, qui in illis erat  
 spiritus Christi, qui priusquam acci-  
 derent, testabatur uenturas in Chri-  
 stum effictiones, & quæ essent con-  
 sequenturæ glorias: quibus & illud re-  
 uelatú est, quod haud sibi ipsis, imò  
 nobis ministrarent, hæc, quæ nunc  
 annúciata sunt nobis per eos qui uo-  
 bis prædicauerunt Euangelium per  
 spiritum sanctum, emissum è cælo.  
 Dominus enim in Euangelio de eo- *Ioan. I4.*  
 dem spiritu suo & patris, loquens di-  
 scipulis suis predicatoribus uel do-  
 ctoribus orbis, dicit, Paracletus ille,  
 qui est spiritus sanctus, quem mittet  
 pater nomine meo, ille uos docebit  
 omnia, & suggeret uobis omnia, quæ

dixi uobis.

*Scriptura prophetarum et apostolorum plenam doctrinam continet.*

2. Tim. 3.

Illi ipsi prophetæ & apostoli plenam hanc coelestem & diuinam doctrinam non modò uerbis uiuis & predicatione transeunte, sed & scriptis commendarunt manentibus: quas quidè scripturas, quod rectè credatur à spiritu sancto inspiratæ, uerè appellam<sup>9</sup> sanctas & authenticas. Comprehenduntur illæ ueteri & nouo testamento. De ueteris testamenti absoluta perfectione loquutus apostolus, episcopo Christiano scribens, dixit, Sacrae literæ possunt te eruditum reddere ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Iesu. Omnis scriptura diuinitus inspirata & utilis est ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iustitia ut integer sit Dei homo, ad omne opus bonum apparatus. Quis autem in his ullam partem plenissimæ doctrinæ requirat? Quis præterea audeat contendere scripturis non omnia

nia uitæ & salutis sufficienter nobis esse tradita, cùm interim audiat Paulum uas electionis pronunciantem, ut integer sit Dei homo. En integer, inquit, & addit, Ad omne opus bonum apparatus. Quid ergo modò nõ tribuemus scripturis auctis et illustratis iam sanctorũ Christi apostolorũ lucubrationib. quibus omnẽ sibi doctrinã à Christo traditã cõprehenderunt, & ecclesię tanq̃ canonẽ & directionẽ absolutissimã reliquerunt?

Ex his scripturis, quę sunt absolutissima doctrina, dominus omnia religionis nostrę peti uoluit. Scripturis cõfutauit omnes suos aduersarios, etiã *Matt. 22.* caput omnis contradictionis sathanã. Ex scripturis suos docuit, sicut Lucas disertè in 4. & 24. cap. sui Euangelij cõmemorauit. Apud Ioannẽ, Scrutamini, inquit, scripturas. Apostolis dicit, Sicut me misit pater, ita ego *Ioan. 20.* mitto uos. Alibi dicit se missum à patre predicatum doctrinam: non



*Ioan. 7.* meam, inquit, sed eius qui memisit, Ita tandem cōcludens discipulis ait,

*Matt. 25.* Docete eos seruare quæ ego mandauit uobis.

*Consuetudo, præscriptio lōgis, exempla.* Nullibi ergo pro scripturis aut cōtra scripturas producit, uel lōgi temporis præscriptionem, uel ita aut aliter sentientium multitudinem, uel sanctorum hominum dicta uel facta, uel spirituum occulta oracula. Imò,

*Ioan. 14.* ego sum ueritas, inquit, non sum consuetudo. Et iterum, *Lucæ 16.* Habent legem & prophetas, audiant illos. Si Mosen et prophetas non audiunt, neq; si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

*Traditiones & cōstitutiōes humanae.* Apud Matthæum in cap. 15. planè reijcit & condemnat patrum Traditiones non congruentes cum uerbo Dei scripto: imò hominum constitutiones dissoluit prorsus, cū dixit apud eundem Matthæum ex propheta

*Isa. 29.* Frustra me colunt docentes doctrinas præcepta hominum. Vnde & Paulus ea sumpsisse uidet, quæ scripsit

scripsit contra hominum constitutiones in epistola ad Coloss. & Titum: *Coloss. 2.*  
ubi & præceptis hominum adimit ue *Titum 1.*  
ritatem.

In summa manet Christus unicus, uniuersalis ecclesiæ doctor absolutissimus, loquês fidelibus quotidie per doctrinam prophetarum & apostolorum: quam si sequamur, non ambulabimus in tenebris, sed habebimus *Ioan. 8.* lumen uitæ perfectissimum. Sicut enim faces nostræ nihili uuant, aut illustrât iubar Solis, ita traditio humana non sarcit defectum doctrinæ diuinæ, qui nullus est.

Idē Christus dominus noster, lux *Christus* ecclesiæ, absolutissimum reformat- *ecclesiæ re*  
dæ ecclesiæ exemplum nobis omni- *formator*  
bus prætulit, dum omnia ecclesiæ ad *perfectis-*  
primam illam à Deo inditā formam, *simus.*  
restaurauit. Deus rectam formam in  
didit ecclesiæ: hominum inuétiones  
& affectiones prauæ, uarios abusus  
superinducūt: reformat qui sublatis

- abusibus primam reddit formã. Nemo, inquit Dominus in Euangelio, immittit assumentum panni rudis in ueste ueteri. Aufert enim supplementum illius à uestimento, & peiorruptura fit. Neque mittunt uinum nouum in utres ueteres: alioqui rumpuntur utres, & uinum effunditur, & utres pereunt: sed mittunt uinum nouum in utres nouos, & utraque simul seruantur. Proinde
- Matth. 9.* Christus cum in templum ascendisset & templi faciem in forum, auaritia sacerdotum, conuersum comperisset, dissipato foro, & subuersis mercibus, flagello ementes & uendentes è templo profligat, nec quicquam relinquit ueteris superstitionis uel abusus: ac mox ueluti rationem sui facti subiiciens, uetus & primum illud Dei institutum in ordinatione templi renouans ait, Domus mea domus orationis uocabitur: uos autem fecistis ex ea domum mercatus
- Lucæ 19.*
- Ioan. 2.*
- Jerem. 7.*
- tus

tus & speluncam latronum. Insuper in templo docet quotidie.

Suo ergo exemplo, exemplo & *Cœtus ec*  
doctrina apostolorum suorum, quid *clesiastica*  
fideles sui in publicis uel ecclesiasti- *cri.*  
cis, in sacris inquam cœtibus suis a-  
gant disertè docuit. Nam & alibi in-  
gressus synagogam, id est cœtum cre-  
dentium librum Isaiaë accipit, ex il- *Lucæ 4.*  
lo legit, lecta q̄ interpretatur, ipsa  
ad eruditionem uel ædificationem  
auditorum accommodans: quam  
quidem in ecclesiæ scripturæ inter-  
pretationem tanti facit Apostolus *I. Cor. 14.*  
Paulus, ut malit in ecclesia quin-  
que uerba loqui, ut alios instituat  
potius quàm decē milia uerborum  
lingua. Præterea orarunt in cœtibus *Act. 2.3.*  
apostoli, administrarunt sacramenta *4. 20.*  
& collectas collegerunt pro sustenta-  
tione pauperū. His obsecro quis tra- *I. Cor. 16.*  
det nobis meliora & utiliora pijs? Si  
Christi sumus, quare Christi instituta  
nō seruamus? Cur ad ipsius exemplū

deformata non reformamus? Nihil-  
dum reformauit, qui primam formã  
nondum restituit. Qui reformando  
partem ueteris erroris uel abusus su-  
stulit, partẽ reliquit, nouum uinum  
ueteribus utribus infudit.

*Imagines Dei & diuorum.* Idem ille dominus noster, docens nos utilia, & nihil negligens eorum, quæ pertinent ad perfectionem nostram, neq; in Euangelio, neq; per apostolorum suorum dicta uel facta, quicquã tradidit de Dei, Christi uel sanctorũ imaginibus in templo, uel ad docendum rudes, uel ad cultum, collocandis. Non enim uenit legem soluere, sed implere. At in lege cum Deus populum suum in cõgregatione illa magna ad Sinai montem docere uellet, nullã populo exhibuit speciem. Vocem enim Dei audierunt, formam Dei nullam uiderunt. Quò nimirum ostendere uoluit, id quod Moses disertè inculcat, uerbis non simulachris doceri populum. Præterea

rea lege lata, pronunciata, & in tabu- *Exod. 20*  
 las scripta lapideas, in sempiternam *Deut. 7.*  
 hominum memoriam, sermonibus  
 quoq; prophetarum scriptis, seueris- *Isaiæ 40.*  
 simè omnem idolorum usum ad cul- *Eccl. 44.*  
 tum sacrum inhiuit. Quod & apo- *Psal. 113.*  
 stoli Christi postea strictissimè & ipsi *Rom. 1.*  
 inculcarunt. Quæ omnia, si qui pro- *I. Cor. 10.*  
 pter hominum quorundam decreta *I. Ioan. 5.*  
 possunt contemnere, neminem puto  
 tam obesæ naris esse, qui non olfaci-  
 at ipsos aliud quærere, quàm Christi  
 gloriam.

De Deo quid sentiamus & creda- *De Deo*  
 mus in ecclesia multi operosis & pro *quid senti-*  
 lixis commentarijs, uix dicere in cœ- *endum.*  
 perunt. At in Christo, quis uel qualis  
 sit Deus, plenissimè & in solidum no-  
 bis exponitur à patre: qui cùm sæpe  
 antea quoq; uisendum se exhibuit pa-  
 tribus & prophetis, in uirtute tum in  
 figuris, & ex parte se exhibuit conspi-  
 ciendum: in filio totū ferè se expref-  
 sit, & essentialiter, quasi oculis fidei

Coloff. 2. inspiciendum præbuit. In Christo, ait  
 Apostolus, inhabitat omnis plenitudo  
 Ioan. I. Dei corporaliter. Etenim Deum  
 nemo uidit unquam: unigenitus autem  
 qui est in sinu patris, is enarrauit  
 nobis. Proinde roganti Philippo a-  
 Ioan. 14. postolo, ac dicenti, Domine ostende  
 nobis patrem, & sufficit nobis, respó-  
 dit Dominus, Tanto tempore uobi-  
 scum sum & nódum cognouisti me?  
 Philippe qui uidit me, uidit patrē. Et  
 quomodo tu dicis, ostende nobis pa-  
 trē. Non credis quæ ego in patre sum et  
 pater in me? Verba quæ ego loquor  
 uobis ex meipso nō loquor: pater au-  
 tem in me manens ipse facit opera.  
 Proinde ex dictis & factis Christi,  
 quis & qualis sit pater discit, adeo quæ  
 in facie Iesu Christi relucet tota diui-  
 na natura, ut non aliunde illustrius.  
 Quia filius est, sine patre non est, ne-  
 que pater sine filio, uterque non est  
 sine spiritu. Cernitur in his distin-  
 ctio, sed nulla interim apparet diui-  
 fio.

fio. Vnus enim Deus est pater, filius *Deut. 6.*  
 & spiritus sanctus: in quem ex æquo *1. Tim. 2.*  
 baptisamur, quem & in Christo di- *Matt. 28.*  
 scimus summè bonum esse, & iu-  
 stum, felicem, sapientem, omnisci-  
 um, omnipotentem, misericordem,  
 & longanimum.

Quanta uerò breuitate & luce cõ- *De adorã*  
 plexus est Christus dominus noster, *do, colen-*  
 omnia ea, quæ dici possunt de adorã- *do & in-*  
 do & colendo Deo, adde & de inuo- *uocando*  
 cando, Dominũ deum tuũ adorabis, *Deo.*  
 inquit, & illũ solum coles. Et iterum, *Matth. 4*  
 Veri adoratores adorabunt patrẽ in *Ioan. 4.*  
 spiritu & ueritate. Nam & pater tales  
 quærit qui adorẽt ipsum. Spiritus est  
 Deus, & eos qui adorant eum spiritu  
 & ueritate oportet adorare. Vbi-  
 que uerò constanter docet solum  
 patrem in cœlis inuocare. Ad quæ  
 uerba uidentur respexisse sancti Chri-  
 sti Apostoli Petrus & Paulus quo-  
 rum uterque non semel iubet, &  
 Deum patrem inuocare, & spiri-



*Rom. 12.* tuales eidem hostias offerre, corpora uidelicet igni spiritus purgata à for-  
 dibus scelerum, uirtutes, beneficentiam & orationes. His enim hostijs delectatur Deus. Paulus in Actis apud Athenienses, Deus qui fecit mundum, inquit, & omnia quę in eo sunt, hic cœli & terrę cùm sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus hominum colitur, indigens aliquo, cum ipse det omnibus uitam, & halitum per omnia. Ipse uniuersum genus hominum cõdidit: & nos sumus eius progenies. Genus ergo cùm simus Dei, non debemus existimare auro aut argento, aut lapidi arte sculpto & inuento hominis numen esse simile. Improbatur ergo Apostolus, unã cũ sumptuoso illo cultu Dei, qui auro, serico & gemmis cõstat, etiam magnificẽtiores basilicas, quàm administratio uerbi, & sacramentorum requirat.

*Cultus di* Nullibi uel à Christo, uel ab apostolis

stolis eius docetur cultus uel reliqui *uorum et*  
 arum. Interim non dissimulat Domini *reliquia -*  
 se magnificare fideles suos, nec *rum.*  
 fraudat eos laude debita. Ioannē ba- *Matth. II*  
 ptistam, in carne adhuc agentem, dili-  
 genter laudat apud ecclesiam, à con-  
 stantia, temperantia præstantiaq; do-  
 norum Dei. Beatam uirginem extol-  
 lit angelus domini super omnes mu-  
 lieres: sicuti & sancta Elizabeth a-  
 pud diuum Lucam in cap. i. Mariam *Matt. 26.*  
 reficientē corpus eius unguento pre-  
 cioso, contra Iudæ proditoris calum-  
 nias defendens, addit, Amen dico uo-  
 bis ubicunq; predicatum fuerit hoc  
 euangeliū in toto mundo, hoc quo-  
 que quod illa fecit, narrabitur in me-  
 moriā eius. Laudanda sunt ergo san-  
 ctorum bona opera in ecclesia, et imi-  
 tandæ ipsorum uirtutes & sancta ex-  
 empla, sed perseverandum simul cū  
 ipsis in adoratione, inuocatione &  
 cultu unius Dei ueri, uiui & æterni.  
 Laudem enim commeritā, ut non re-

pulerunt ita cum summa humilitate recipientes omnem gloriam in fontem omnis boni retulerunt. Oblatos autem diuinos honores summa cum indignatione & animi mœrore repudiarunt, testificantes se hoc unum postulare ab omnib, ut relicto creaturarum cultu omnes ad unum uerum Deum conuertantur. Exempla eius rei plurima ubiq; occurrunt, maximè tamen illustre Pauli & Barnabę in Actis extat, ca. 14. Si uerò in carnis imbecillitate uersantes nõ receperunt diuinos honores, quãto minus carne exutos et sublato in cœlũ uerisimile est diuinos exposcere cultus?

*De iustificatione.*

*Christus iustitia u-nica.*

De iustificatione quoq; de fide & bonis operib. nemo melius, breuius, significatius & certius docuit nos, Christo & apostolis eius. Ille nõ aliã ecclesię iustitiã & absolutionẽ recõciliationẽq; ostendit, q̃ semetipsum, ipsum in quã Dei & Marię filiũ, & quidẽ solũ: id quod in Euangelio Ioãnis, & in

ijs quę superius attuli clarissimè con-  
 spicitur. Cęterú iustitia et uita manēs  
 in Christo, & iccirco extra nos cōsti-  
 tuta, nos nec iustificat nec uiuificat,  
 nisi nobiscū cōmunicetur, aut nostra  
 fiat. Diligēter ergo & multis olim in-  
 quisitum est, et disputat hodie quoq; *Quomodo*  
 quomodo cōmunicet nobis Christ⁹, *Christi iu-*  
 & per quod mediū nostra fiat Christi *stitia no-*  
 iustitia & uita: nemo uerò significan- *stra fiat.*  
 tius & clarius hoc nos docuit docto-  
 re nostro Christo, qui in Euāgelio se- *Ioan. 3.*  
 cundū Ioannē, Sicut Moses exaltauit  
 serpentē in deserto, inqt, sic exaltari  
 oportet filiū hominis, ut omnis q̄ cre-  
 dit in eū, nō pereat, sed habeat uitā æ-  
 ternā. Ergo sicut extra serpentē nō e- *Sola fide*  
 rat uita (nō quod uita esset in ære, sed *recipi*  
 quia serpens esset typus Christi) ita *Christum*  
 nulla uita uel iustitia est extra Chri-  
 stum. Et sicut uitæ nemo partici-  
 pabat per preces aut sacrificia, aut  
 per ulla alia opera, sed per solum  
 contuitum, uel aspectū serpentis: sic

communicatur nobis uita, & iustitia Christi per solam fidem. Nam Dominus pro aspicere serpentem reposuit nobis credere in Christum. Ergo per fidem fit, ut iustitia Christi nobis imputetur pro nostra iustitia. Quid hac doctrina simplicius inuenias & apertius, denique certius? At talem habemus à Christo, à quo omnem habemus plenitudinem: qui in eodem Euangelio dicit, Ego sum panis uitæ: qui uenit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non sitiet unquam. Rursus in semetipso dominus uitam plenam ostendit, dum se panem uiuificum facit. Quemadmodum autem panis corpus sustentat: ita animam Christus. Porrò quemadmodum cibus edendo duntaxat, non contemplando aut contrectando aut operando, in corpus traicitur, ita credendo nonster fit Christus, id est, fide percipimus Christum. Nam & Paulo loquens

*Act. 26.*

Dominus, Mitto te ad gentes, inquit,  
ut

ut aperias oculos eorum, accipiantque remissionem peccatorum & sortem inter eos qui sanctificati sunt per fidem quæ est in me. Idem ergo inculcat in omnibus propè epistolis suis, gratia non lege, imputatione, non meritis, fide non operibus iustificari credentes. Nã & Petrus, Christo omnes prophætæ testimonium ferunt, inquit, quod remissionem peccatorum accepturus sit per nomé eius, quisquis crediderit in eum. Act. 10.

Dum autè per fidè admittitur aut *De bonis* recipitur Christus non est in animis *operibus.* fidelium ociosus. Principio enim comunicat suã nobis iustitiã, nostram iniustitiam diluendo, ne ea imputetur nobis, & pro ipsa suã nobis iustitiam donando, quo ipsa nobis pro nostra imputetur. Deinde efficit, ut varios iustitiæ fructus, uerè inquam bona opera, proferamus. Sunt autem uerè bona opera, quæ secundum uoluntatem Dei, ex fide Christi proferimus

- Ioan. 15.* ad gloriam Dei. Nam Christus uitis est, fideles palmites sunt. Si hæ in uite manferint multum boni fructus proferunt. His & mercedem promittit
- Matt. 25.* amplissimã, & ubiq; hac prolicit ad bona opera. Interim ne quis bonis niteretur operibus, Cú feceritis, inquit
- Lucæ 17.* omnia quæ præcepta sunt uobis, dicite, Serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus. Vnde & publicanú alibi nihil sibi, omnia diuinæ misericordiæ tribuenté, præfert phariseo, suas iactãti iustitias. Nihil, opinor, regret in hac Christi de bonis operibus doctrina, cui magis cordi sunt, uerè bona opa, quàm fucatorú opú cauponatio & altercatio in re planissima.
- Quales vires hominis.* In Christo quoq; domino nostro, uti in speculo exterso cernimus quales sint uires hominis, quidelicet peccato corrupti nihil in nobis sit integri. Malú nostra facultate facere possumus, bonú facere nõ possumus. Quid enim opus fuerat regeneratione, si uires

res hominis erant bonæ uel integræ? *Ioan. 3.*  
 Christus certè Nicodemo dicit, Amē  
 amen dico tibi, nisi quis natus fuerit  
 è supernis, nõ potest uidere regnum  
 Dei. Ex peccato ergo corrupta est to-  
 ta hominis natura. Etenim si uiribus  
 nostris potuimus seruari, quid neces-  
 se fuit incarnari, & crucifigi filiũ dei?  
 An dicemus illum frustra esse incar- *Galat. 2.*  
 natum & passum?

Amē amen dico uobis, ait in Euan- *Seruitus*  
 gelio dominus, quod omnis qui facit *& liber-*  
 peccatũ, seruus est peccati. Seruus au- *tas.*  
 tem non manet in domo in æternum, *Ioan. 8.*  
 filius manet in æternũ. Si ergo uos fi-  
 lius liberos reddiderit, uerè liberi e-  
 stis. Breui hac sententia plenissimè  
 complexus est Dominus quæcun-  
 que fusissimè & interim impexissi-  
 mè disputari solent de seruitute, &  
 libertate hominis Christiani. Ser-  
 ui enim sumus, quatenus concupi-  
 scentia seruimus, liberi autem qua-  
 tenus spiritu Christi regimur.



*Homo in* Imò inuenias in eodé homine etiã re-  
*stus et pec* nato naturas illas contrarias, Paulo  
*cator.* quoq; dicente, Idem ego mente qui-  
*Rom. 7.* dem seruius legi Dei, carne uerò, legi  
*Galat. 5.* peccati. Ita etiã fit, ut quandiu in hac  
 mortali carne uiuimus ex gratia Chri-  
 sti, uocemur iusti, propter reliquias  
 tamẽ in carne hærentes, appellemur  
*Ioan. 13.* & peccatores. Dominus enim, Qui  
 lotus est, inquit, non opus habet, nisi  
 ut pedes lauet, sed est mundus totus.  
*Ioan. 15.* Item, Omnem palmitem ferentẽ fru-  
 ctum purgat, ut fructũ copiosiore  
 afferat.

*Fœditas* Quàm uerò atrox & abominandũ  
*peccati.* sit peccatum in oculis Dei patris, nõ  
 aliũ de inclarescit illustrius, quàm ex  
 incarnatione, erumnis & passione  
 Domini nostri Iesu Christi. Meritò e-  
 nim modis omnibus nephandum il-  
 lud esse iudicatur, quod expiari non  
 potuit, nisi precio tanto, preciosissi-  
 mo uidelicet sanguine filij dei tãtisq;  
 erumnis, quæ per omnes dies uitæ  
 Christi,

Christi, in ipsam usq; mortē eius extenduntur. Nullæ omnino ac mutæ prorsus erunt omnes peccati peccatorūq; fœditatis amplificationes, si his conferantur.

Et nos ipsos nobis ipsis authores *Nos esse esse omniū calamitatū & malorū, ne nobis au-*mo unquā dixit significantius, quā *thores ma-* Dominus in Euangelio clamitans, *lorum.* Hierusalē Hierusalē, quę occidis pro *Matt. 23.* phetas & lapidibus obruis eos qui ad te missi sunt: quoties uolui congregare filios tuos, quēadmodū gallina congregat pullos suos sub alas, & noluitis? Itē, Hęc est condemnatio, *Ioan. 3.* quòd lux uenit in mundū, & dilexerunt homines magis tenebras, quā lucem.

Porro de Pœnitentia uera & recep- *De pœni-*ptione rursus in gratiā, siue de recon- *tentia.* ciliatione peccatorū, scripta extant passim uasta uolumina, sed dominus noster doctor ecclesiæ fidelissimus, unā eaq; non copiosa filij male frugi,

uel decoctoris parabola & peccatū  
& peccati progressum uel incremen-  
ta, adde & fastidia atque tormenta,  
item peccatorum agnitionē & con-  
fessionem, deniq; conuersionem ad  
Deum, id est, ueram & uiuā pœniten-  
tiam, tam dilucidè, propriè, significā-  
ter & eleganter ipsis etiam oculis fi-  
delium subijcit, ut sibi rem non nar-  
rari, sed coràm geri inspicereq; uide-  
antur. Similia in Euangelio extant ex  
empla plura, ut Samaritidis peccatri-  
cis, Galileicæ meretricis, Petri & la-  
tronis, & alia quæ sigillatim recense-  
re nimis longum foret.

*De eccle-* De ecclesia instituunt etiā hodie di-  
*sia et fun* sputationes prolixissimæ: uerūm do-  
*damento* minus noster, in quo est exposita om-  
*ecclesiæ.* nis Dei sapientia & plenitudo, eccle-  
siam simpliciter uocat coetū uel con-  
gregationem omniū credentiū, cum  
*Matt. 16.* Petro confitentium, Iesum esse Chri-  
stum, Dei filium, mundi saluatorem  
atq; ideo impositorum in firmam pe-  
tram,

tram, quæ est Christus, fundamentum *I. Cor. 10.*  
 unicum, quo non potest collocari aliud, lapis angularis, caput, protector & conseruator omnium membrorum: quæ quidem unius uocem, *Iohn. 10.*  
 tanquã supremi & unici pastoris audiunt, alienorum non agnoscunt, sed in uniuersum ab ipso dependent, & in unicum respiciunt. Aggregantur *Ephes. 4.*  
 autem & conseruantur in ecclesia ministerio sacro.

Etenim sicut unus est Deus & serua *Vna est ecclesia,*  
 tor, una fides, unum baptisma: ita unica est ecclesia Christi catholica. Ea  
 nõ scinditur in sectas, nõ appellat alienis nominib. nullas facit professiones peregrinas. Manet enim in unitate sanctorum, in uinculo fidei.  
 A Christo Christiana appellari gaudet. Et ut in unum Deum tincta est, ita perstat in eo uoto, & in professione fidei Christianæ. Paulus, *Cum I. Cor. 1. ea*  
 dicat unus inter uos, inquit, Ego sum Pauli, alter uerò, Ego sum

Petri aut Apollo, nónne carnales estis? Num diuisus est Christus, num Paulus crucifixus est pro nobis? aut in nomine Pauli baptisati fuistis? Christus ergo & ecclesia Christi non docuit nos nomina dare Benedicto aut Francisco, non docuit nos uota his offerre, & priuatas fucatas monachicasque professiones facere, aut singulare iners & ociosum, adde & reipublice perniciosum uiuendi genus inducere in catholicam Christi ecclesiam, Carnales nō spirituales appellat Paulus omnes eos, qui non cōtenti Christiano nomine, sibi ex hominib. alia quoque induunt nomina.

*De ministris ecclesie.* Ministros uerò ecclesie suæ dedit dominus apostolos & prophetas, pastores & doctores ad instaurationem sanctorum in opus administrationis in ædificationem corporis Christi. Dedit enim his clauēs regni cœlorum, ministerium inquam, referendi claudendi que cœli, confirmandi, corrigendi et conso-

consolandi fideles, ut omnes Christi  
fiant participes, uitamq̄ Christo di-  
gnam uiuant. Proinde fideles & ueri  
ministri omnia sua studia, omne mi-  
nisterium doctrinæ, precū & sacra-  
mentorū huc conuertunt, ut Christū  
omnes agnoscat & obtineat, in Chri-  
sto omnia bona habeant ac in eodē  
toti uiuant, & Christus uiuat in ipsis.

His inquam studijs sacris ministros *Cōtra mi-  
nistrorum*  
ecclesiæ duntaxat incumbere uoluit

Dominus, non parando imperio, ne- *ambitio-  
nem.*  
que cumulandis opibus inuigilare.

Nam cum aliquando contenderent *Lucæ 22.*

de eo, quis inter ipsos maximus esset  
futurus, respōdit, Reges gentium do-  
minantur eis, & qui potestatem exer-  
cent super eas, gratiosi uel benefici  
appellantur. Vos autē non sic. Nam &

*Ioan. 6.*  
ipse fugit, dum populus ipsum cogi-  
taret creare regē. Proinde quorū stu-  
dia unicè huc tendunt, ut non modò  
regibus, & principibus dominantur,  
sed & regnum suum longè potentif-

simum in diem magis magisq; propa-  
 gēt, propagatū multo Christiani san-  
 guinis dispendio conseruent, adeo  
 non sunt Christi ministri in ecclesia  
 catholica, ut hostes potius iudicent,  
 neq; ullo modo digni habeantur, qui  
 dicantur successores sanctorum Chri-  
 sti apostolorum Petri & Pauli. Hic e-  
 nim dixit, Sic nos æstimet homo, ut  
 ministros Christi, ac dispēfatores my-  
 steriorum Dei. Ille uerò scriptum reli-  
 quit, Presbyteros qui inter uos sunt  
 obsecro, qui sum & ipse presbyter ac  
 testis afflictionū Christi, atq; idē con-  
 fors glorię, quæ reuelabitur, pascite  
 quantū in uobis est gregē Christi, cu-  
 ram illius agentes, nō coactē, sed uo-  
 luntariē, neq; turpis lucri causa, sed li-  
 beraliter: neq; tanquā dominiū exer-  
 centes aduersus clericos, sed ut sitis ex-  
 emplaria gregis. Hæc uerò qui nec fa-  
 ctis exprimunt, nec tantillū curant,  
 indigni omnino uidētur, quibus uel  
 umbra Petrini nominis concedatur.

Redimus

*1. Cor. 4.*

*1. Pet. 5.*

Redimus ad nostrū institutū, ostēdētes dominū Iesum ecclesiæ suæ perfectionem absolutissimā etiam in alijs rebus maximi momenti ecclesiā non destituisse. Ac quod orationem *De oratio* fidelem attinet, non modò is ad pre- *ne fidei.* ces excitauit & orare creberrimè & intentissimè iussit, & exēplo suo sancto docuit, sed & formulā exhibuit orationis optimæ, qua nihil potest excogitari perfectius. Ea uulgo etiam cognita, & apud Matthæum in 6. cap. descripta est. Idē Dominus maxima cum interminatione prohibuit, ne quis precio accepto precaretur. Væ, inquit, uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia comeditis domos uiduarū, dum sub prætextu precibus prolixis precamini, ppter hoc plus accipietis damnationis. Idē Dominus remouet à precibus sanctorū battologiā siue multiloquiū aut numeros, ne uidelicet ethnicorum instar existimemus nos ppter prolixas



preces aut battologiam iri exauditū.  
Præterea mandat omnes preces no-  
stras Deo patri offerre per filiū, hoc  
est inuocare solum Deum patrē per  
interuentum Iesu Christi unigeniti fi-  
lij Dei. Cessant autem omnes omniū  
disputationes de inuocatione alio-  
rum, aut quæ fiat per interuentum a-  
liorū, ubi uera fide perfectissima hæc  
filij Dei doctrina recepta est.

*De Sacra* Pari fide, diligentia & compendio  
*mentis.* non tantum instituit Dominus no-  
ster Sacramenta ecclesiæ, Baptismū  
sacrum & Coenam mysticam, paucu-  
lis instructa ritibus, nullisq; operosis  
onerata cæremonijs, sed ipse in super  
ea suscepit, ut suo nobis præiret ex-  
emplo, ne uel ipsa sperneremus, uti  
res non magni momenti, uel ignora-  
remus, quomodo ea legitime cele-  
*Matth. 3.* braremus. Proinde qui à Ioanne ba-  
*28.* ptista in Iordane tinctus est aqua, idē  
iussit suos baptisari in nomine patris  
& filij & spiritus sancti, nihil adiciēs  
amplius.

amplius. Idem ille confedit cum discipulis, quibus post sacrum colloquium panem & poculum corporis & sanguinis sui sacramentum, distribuit, dicens, Accipite, edite, hoc est corpus meum quod pro nobis datur. Hoc facite in mei memoriã. Itẽ, Accipite, diuidite inter uos, bibite ex hoc omnes, hoc poculum nouum testamẽtum est in meo sanguine, qui effunditur in remissionem peccatorum. Hoc facite in mei memoriã. Et I. Cor. II. Paulus, Quotiescunq;, ait, comederitis panem hunc, & de poculo hoc biberitis, mortem Domini annunciate donec uenerit. Habemus ergo mandatum & exemplum domini nostri absolutissimum, quod nisi quis omnium hominum placitis, modis, formis & rationibus anteponat, absolutissima Dei instituta, hominum peccatorũ arbitrio & inuentis indignissimè substernit.

Fideles in hac Dei institutione om

nino se exhibent tranquillos nihil aliud sapere uolentes, quàm quod ipse iussit sapere Dominus: ergo cùm credant nihil admittendum aut credendum esse, quod pugnat cum regula fidei, potentiã & miracula Dei contra fidei articulos non recipiunt: non disputant de corporali præsentia Christi in pane aut de transubstantiatione panis in uerum corpus

*1. Cor. 10.* Christi. Etenim cùm illud Apostoli audiunt, Patres nostri omnes eandẽ escam spiritualem comedebãt, & omnes eundem potum spiritualem bibebant. Bibebant enim de spirituali quæ illos comitabatur petra, Petra uerò fuit Christus: & interim cernũt patres illos (qui & ipsi nobiscum spiritualiter ederunt Christum antequã incarnaretur) ignorauisse quæstiones illas spinosas, abstinent ab eis ipsi quoq; præsertim cùm ipse Dominus in Euangelio Ioannis hoc mysterij sic enarrauerit plenè, ut nõ possit explicari

*Ioan. 6.*

explicari ullo modo absolutius. Cū enim dixisset, Nisi ederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Caro mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus, ne quis offenderet immanitate orationis, interponit tractationi uerba simul et sententias, quibus declarat spiritualemente manducationem intelligere, quæ fiat fide. Sæpius enim in illo sermone fidem inculcat, imò pro manducare reponit credere, insuper & hunc ueluti clauem totius disputationis sub finem appendit, Spiritus est qui uiuificat, caro non prodest quicquam. Verba quæ ego loquor uobis spiritus & uita sunt. His inquam acquiescunt sancti, & à peregrinis quæstionibus in uniuersum omnibus abstinent religiosissimè.

Præterea cū Dominus disertis uerbis præceperit, Bibite ex hoc omnes, apostolicè omnes fideles admiserint

ad poculum Domini, non pili faciunt sancti, si quis diuersum his adferat. Oportet enim Deo plus obedire quam hominibus. Ita cum audiunt, Hoc facite in mei memoriam, non de nouo sacrificare Dei filium instituunt, sed memoriam semel peracti sacrificij in cruce pergunt celebrare, agentes pro acceptis beneficijs gratias: sciētesque neminem Dei filio de his posse meliora & certiora tradere. Vbi liquidò sicubi uspiam aliās claret, omnia nobis plenissimè per Christum esse tradita, cum hæc paucula de rebus omnino maximis, securos faciant credentes: disputationes autem hominum de his operosissimæ, & usque ad impatientiam prolixæ, auditores suos nunquam possint expedire, aut tranquillos reddere, quò minus & querant & addubitent.

*De delectu ciborum.*

Ita de delectu ciborum minus sunt solliciti fideles, quòd sciāt omnia mundis esse munda, & id quod os hominis ingredi-

ingreditur non polluere hominem, *Titum I.*  
 sed illud potius quod ex ore, ex cor- *Matt. 15.*  
 dis inquam corruptione egreditur.

Vnde & Apostolus, non uescenti in- *Rom. 14.*  
 hibuit iudicare uescentem: & ad Ti-

motheum doctrinas dæmoniorum *I. Tim. 4.*

appellat decreta prohibentia contra  
 here matrimonium & abstinere à ci-  
 bis, quos deus creauit ad sumendum  
 cum gratiarum actione fidelibus. In-

terim ieiunia nō superstitiosa nemo *Matth. 6.*  
 aspernatur, cum ipse nos dominus ie- *Isaia 58.*

iunare docuerit, sicuti & alia homini  
 necessaria docuit.

Idem matrimonium, utpote fan- *De matri-*  
 ctum & impollutū ex Dei indulgen- *monio &*  
 tia & institutione omnibus pijs libe- *virginib.*

rum permisit, nulli hominum generi  
 aut ordini prohibuit. Quò respiciēs  
 Apostolus, Honorabile est, inquit, in-  
 ter omnes connubium & cubile im-  
 pollutum. Scortatores autē & adul-  
 teros iudicabit Deus. Ergo propter  
 stupra uitanda, suam quisq; uxorem

habeat, & suum quæq; maritum. Satius est enim matrimonium contrahere, quàm uri. Virgines uerò uerè uirgines meritò laudauit, qui matrè sibi ex qua nasceretur uirginem perpetuam delegit.

- De magi-* Porro erga magistratum ita se gerit  
*stratu.* dominus uniuersorum rex & monar-  
*Matt. 19.* cha summus, ut inde colligant pij omnes, sibi quoq; obtemperandū esse regibus & magistratui in omnibus rebus politicis, non pugnantib. cum legibus diuinis, adeo q; & tributa pendenda esse principib. Date enim Cæsari quæ Cæsaris sunt, ait Dominus, et Deo quæ sunt Dei. Per Cæsaris uocē utiq; omnis generis reges uel magistratus intelligens. Ecclesiasticam illam immunitatem nesciuit pastor catholicæ ecclesiæ summus, qui & pro se & pro Petro staterè numerauit magistratui. Tantū abest, ut se exaltauerit in capita regū, his ad oscula pedes obiecerit, aut propter tributū impositum

fitū excōmunicauerit. S. Paul. Omnis *Rom. 13.*  
 anima, inquit, potestatib. superemi-  
 nentibus subdita sit. Est empotestas à  
 deo: itaq; quisq; potestati resistit deo  
 resistit, & iudiciū sibi acquirat. Reddi-  
 te ergo omnibus q̄ debet, cui tributū  
 tributū, cui uectigal uectigal, cui ho-  
 norem honorē, cui timorē timorem.

Edit & bibit ac uixit ex ministerio *Bona ec-*  
 ecclesiastico, qui & discipulis suis di *clesiastica*  
 xit, Dignus est operarius mercede *Matt. 10.*  
 sua. Vnde & apostoli exijs quæ con-  
 ferebantur à fidelibus uixerunt. Ac *I. Cor. 9.*  
 habuit primitiua ecclesia facultates,  
 sed quibus conseruaretur ministeri- *Act. 4.*  
 um, & inopia subleuaretur paupe-  
 rum. Quæstionem uerò ad quos per-  
 tineat administratio bonorum eccle-  
 siasticorum, operose pro pontificum  
 emolumento hodie disputatam, de-  
 terminans beatus Petrus omnes eos *Act. 6.*  
 ab administratiōe remouit qui maxi-  
 mē hodie appetūt. Cōuocata em̄ ec-  
 clesia sic pnunciat, Nō est æquū aut



commodum, nec nos derelicto uerbo Dei ministremus mensis. Dispici- te ergo, fratres, uiros ex uobis boni te- stimonij septem, plenos spiritu san- cto & sapientia, quos constituamus super hoc opus, nos uerò orationi & ministerio uerbi incumbemus.

*De care-* Postremò ne quis post copiosam  
*monijs ab* hanc declarationem de Cerimonijs  
*rogatione* multiplicibus quæstionem obijciat,  
*legis & li* ubi has nobis tradiderit, qui omnia  
*bertate* uitæ & salutis deniq; omnia absolu-  
*Christia-* tæ doctrinæ & constitutionis eccle-  
*na.* siasticæ tradidisse affirmatur? dicim<sup>9</sup>  
 breuibus Christum Dominum no-  
 strum noui non ueteris Testamenti  
 pontificè esse, qui abrogatis ueteris  
 Testamenti caremonijs, nouas uel  
 pares aut alias in abrogatarum locû,  
 ut reponere non debuit, quò illustre  
 inter nos & illos discrimen extaret,  
 ita planè non instituit. Tradidit qui-  
 dem ecclesiæ disciplinam exercendâ  
 prædicatione, precibus publicis, &  
 administra-

administratione sacramentorum, & moderata corporis castigatione, sicut modò diximus, sed cærimonias nullas instituit, neque his libertatem Christianam magno partam, implicare uoluit. In libertate qua Christus *I. Cor. 7.* uos liberauit, stete, ait Paulus, & ne *Galat. 5.* rursus iugo seruitutis implicemini. Ecce ego Paulus dico uobis, quòd si circumcidamini, Christus nihil uobis proderit. Quid uerò necesse erat, uel ueteres retinere aut reparare, uel reiectis his, nouas condere cærimonias, posteaquã eum nobis exhibuit diuina bonitas, in quo recapitulauit Deus omnem plenitudinem, quam qui fide consequuti possidēt, omnia ea possident, quæ cæremonijs figurata sunt? Quis oro corpore præterito umbram persequatur? Christus *Rom. 10.* Dominus ipse est finis legis, ad iustificationem omni credenti, ipse est arca testimonij, in qua conseruantur tabulæ, mânia & uirga Aaronis florida,

ipse est mensa aurea cum panib. facie-  
 rum, ipse est altare aureū cum aureo  
 thuribulo, ipse est candelabrum au-  
 reum & lucerna totā illuminans ec-  
 clesiam, Christus est ara holocausto-  
 rū, holocaustū, uictima, oblatio uel  
 mola & libamē. Ipse est pontifex ma-  
 ximus, in quo reuera reperiūtur om-  
 nia, quę miramur in uestitu illo sacro  
 & mystico Aaronis & filiorum eius.  
 Res ergo cum in Christo teneamus,  
 quid adhuc miraremur rerū umbras,  
 typos atq; figuras? Præterea cū res fi-  
 delium & maxime simplicium atque  
 infirmorum (quorum gratia conten-  
 ditur plures habendas esse cæremon-  
 nias) sic habeant, ut quo plures ipsis  
 relinquunt cæremonia, hoc ipso ma-  
 gis dispergant animi ipsorū, minusq;  
 ad Christū colligātur, in quem unice  
 spectandū est, & cui tribuēda sunt o-  
 mnia, ualde implicant non explicant  
 simplices, sed & libertatem eripiunt  
 Christianam, quotquot cæremonias  
 multipli-

multiplicat. Proinde non temere beati  
 Christi apostoli in Concilio illo primo & magno Hierosolymitano in syno- *Act. 15.*  
 dica epistola sua, Quonia audiui-  
 mus, aiunt, quosdam a nobis egressos  
 turbauisse uos uerbis, et implicauisse  
 animas uestras, iubetes uos circuncidi  
 & seruare legem, quibus non manduca-  
 ramus, uisum est spiritui sancto ac no-  
 bis, ne quid amplius imponeremus uo-  
 bis oneris, quam haec necessaria, uideli-  
 cet ut abstinere ab idolothytis &  
 sanguine & suffocato et scortatione:  
 a quibus si conseruaueritis uos ipsos be-  
 ne facietis. Misimus autem cum dilectis  
 nostris Barnaba & Paulo, qui exposue-  
 runt animas suas pro nomine domini no-  
 stri Iesu Christi, Iudam et Sylam, qui et ipsi  
 uobis uerbis referent eadem. En quid dici  
 poterat negotio nostro magis appo-  
 situm & commodum? Placuit Concilio apo-  
 stolico a spiritu sancto inspirato, ne  
 quid amplius oneris imponeret ecclesie.  
 En, Ne quid amplius imponerem uobis

oneris, dicit. Quid quòd turbatores ecclesiarum apertè ab eo nuncupantur, qui plura imponunt ecclesiæ onera? Et hæc quidem dicuntur de cæremonijs olim ab ipso Deo inuentis & traditis, quas cum euangelio apostoli admisceri noluerunt ullo modo, quantò minus decet hodie admiscere, aut admixtas recipere hominû adinventiones, quibus mox tribuamus uel præparationis uim ad gratiam consequendam, augendam aut conseruandam, uel iustam aliquam salutis nostræ portionem? Nec est quòd Traditionis nomine hic fucû nobis faciant cæremoniarum patroni. Apostoli enim dicunt missos ab ipsis, uerbis referre uel tradere eadè. Si eadem, quomodo illi nobis obtrudunt diuersa? Placuit apostolis ne quid amplius imponerent: isti uerò amplissima & onerosissima, imò & importabilia imponunt humeris fidelium baiulanda onera, quæ ipsi in-

terim

*Traditiones.*

terim ne minimo quidem attingunt digitulo. Vt iam non commemorem ritus ecclesiasticos aliquo modo pertinere ad cultum Dei, quem modis omnibus ipsi nobis confingere prohibemur. Pij ergo breuibus traditū sibi à Christo per apostolos cultum Dei custodiunt illibatum, nihil ei adijcientes uel detrahentes.

His copiose hactenus expositis de *Epilogus* monstraui, opinor, & euici, quod me uobis, uiri, patres & fratres uenerandi filijque dilectissimi, demonstraturum promisi, Deum patrem nostrum omnem nobis perfectionem plenè exhibuisse in filio suo unigenito Domino nostro Iesu Christo, ad eò ut qui filium hunc Dei & Mariæ uirginis possideat fide uera, etiamsi omnibus careat illis, quibus hic mundus sibi ad salutem parandam necessarium putat, omnia uitæ & salutis possideat absolutissimè. Quid ergo restat aliud, quàm ut relicto mundo in di-

uersum cum suis sapientibus nitenti,  
hominũq; præsijs, uni Christo sapi  
entię patris & ecclesię perfectioni o  
mniũ absolutissimæ nos totos conse  
cremus, in hoc uno requirentes om  
nia uitæ & salutis ueræ. Ac sanctè o  
mnino hic fingere licet ipsum domi  
num Iesum, cū uniuerso mortaliũ ge  
nere exoptulanti, ita colloqui,

*Erasm.* Cum mihi sint uni bona quę uel fron

*Rot. sunt,* dea tellus

*hęc.*

Vel olympus ingens continet

Dicite mortales, quæ uos dementia  
cœpit

Hęc aucupari, ut unde uis

Malitis, quàm de proprio deposcere  
fonte

Adeo benigno & obuio?

Mendacesq; iuuet trepido miseroq;  
tumultu

Vmbras bonorum persequi?

Pauci me qui sum ueræ largitor &  
author

Felicitatis expetant?

Maximus

Maximus ego ille sum cœliq̄ soli q̄  
monarcha

Seruire nobis cur pudet?

Diues item & facilis dare magna &  
multa roganti

Rogari amo, nemo rogat.

Sum q̄ uocor q̄ patris summi sapien-  
tia, nemo

Me consulit mortalium

Ipse ego sum ætherci splendor q̄ de-  
cus q̄ parentis

Me nemo stupet aut suspicit.

Sum firmus iuxta ac iucundus ami-  
cus amico

Me pariter ac meas opes

Candidus ac lubens charis impertio  
nemo hanc

Ambit necessitudinem.

Sum uia qua sola cœli iter ad astra ta-  
men me

Terit uiator infrequens

Cur tandem ignarum dubitat mihi  
credere uulgus?

Aeterna cùm sim ueritas.



80      P E R F E C T I O

Pollicitis cur stulte meis diffidere  
perstas?

Cùm sit nihil fidelius.

Author adhæc uitæ cùm sim unicus,  
ipsaq; uita.

Cur sordeo mortalibus?

Lux ego sum, cur huc uertunt sua lu-  
mina pauci?

Dux, cur grauantur insequi?

Viuendi rectè certissima regula solus

Aliunde formas cur petunt?

Ipsè ego sum solus uera, & sine felle  
uoluptas

Quid est quod ita fastidior?

Vnica pax animi quin huc deponi-  
tis ægri

Curas edaces pectoris?

Si benefacta truces etiam meminere  
leones

Referuntq; belluæ uicem.

Si redamanr aquilę redamant delphi-  
nes amantem,

Cur efferatior feris

Me me non redamas homo? cui se-  
mel omnia feci.                      Quem

Quem condidi, quem sanguine  
 Asserui proprio propriaeque à morte  
 recepi

Dispendio uitæ uolens.

Si bos agnoscit dominum, si brutus  
 asellus

Agnoscit altorem suum.

Cur me solus homo malè gratus nos-  
 se recusas

Et conditorem & uindicem?

Vnus ego hic tibi sum cunctorum sum  
 ma bonorum

Quid est quod extra me petas?

Quorsum distraheris per tot dispen-  
 dia grassans

Laboriosa inertia?

Sum placabilis & pronus miseresce-  
 re, quin hoc

Miser ad asylum confugis?

Idem iustus & implacabilis ultor ini-  
 qui,

Cur non times offendere?

Corpus ego atque animum nutu sub  
 tartara mitto

Nostri metus uix ullum habet.

Proinde mei desertor homo fociordia si te

Adducet in mortem tua

Præteritum nihil est, in me ne reiice culpam

Malorum es ipse author tibi.

Ceterum ne quis hæc ueluti humana aspernetur, audite porrò, quæ ipse Dominus in scriptura sancta suo ad nos ore pronunciauit. Apud Isaiam enim clamans dicit, O uos omnes sitientes uenite ad aquas, & qui non habetis argentum properate, emite & comedite. Venite emite absq; argento & absque ulla commutatione uinum & lac. Cur expenditis pecuniam, pro eo quod non est cibus, & laborem uestrum, pro eo quod non faciat. Quin potius mihi diligenter auscultate, ut comedatis bonum, & in pinguedine oblectet se anima uestra. Incline aures uestras ad me. Venite & audite me, & uiuet anima uestra.

*Isaiæ 55.*

uestra. Non adijciam his quæ eiusdem argumenti extant apud Ieremiam capite 2. Quæ in Euangelio dixerit Dominus noster audite, imisq; sensibus recondite, Si quis sitit, inquit, ueniat ad me & bibat. Qui credit in me sicut dicit scriptura, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. *Ioan. 7.*  
 Omnia mihi tradita sunt à patre meo. *Matth. II.*  
 Venite ergo ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Tollite iugum meum super uos, & discite à me quòd mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus uestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.  
 His si simpliciter credamus, & ea toto pectore recipiamus, pulchrè nostro respondebimus nomini: Christiani appellamur à Christo, à quo si toti & omnibus omnino uiribus nostris dependerimus, ad ipsum solum respexerimus, in ipso solo requirentes omnia uitæ & salutis, hoc

demum erimus uerè quod nomine dicimur Christiani. Orate Deum patrem in coelis per Iesum Christum dominum nostrum, & dicite, Pater noster, &c.

DE CHRISTO ET NO-  
mine Christiano anti-  
quissimo.

*Euseb. Ecclesiast. historię lib.  
I. cap. IIII.*

**N**TIAM SI planè recentes sumus Christiani, ac nomen hoc Christianorum nuper primum omnibus gentibus innotuit, quod tamen ipsa vita & cōuersationis modus non sit nuper & ac nostrę adinventionis, sed ab ipsa primęua humani generis constitutione, ut ita dicam, naturalibus priscorum piorum virorum intelligentijs, adstructa, per ipsa pietatis dogmata, hoc modo ostendemus.

demus, Non noua sed coram omnibus hominibus uetustate celebris ac cunctis nota gēs Hebræorum est. Huius libri ac literæ uetustos viros continent, raros quidem & paucos numero, pietate uerò & iustitia omniq; virtutum genere præstantes, ante diluuium differentes, postea alios ex filijs ac nepotibus Noe, utpote Atharam & Abrahamum, de quo tanquam duce ac progenitore ipsi Hebræorum posteri gloriantur. Quod si quis hos omnes iustitiæ testimonio decoratos ab ipso Abrahamo ad primum usq; hominem ipsis operibus etsi non nomine, Christianos fuisse dixerit, à ueritate certè nõ aberrauerit. Christianum quippe nomē uirum significare uult qui per Christi cognitionē ac doctrinam, animi moderatione & iustitia continentiaq; uitæ, & uirtutis fortitudine ac pietatis confessione erga unum ac solum omnium Deum excellit. Hoc autē priscis illis non minus curæ fuisse, quàm nobis constat. Nec corporalis itaq; circumcisionis rationem habuerunt, sicuti neq; nos: nec

sabbatorū obseruantia, quemadmodū neq̄ nos: nec abstinentia ciborū: neq̄ discriminū aliorum, quæ postea Moses primus omnium instituit, ac symbolicè perficienda tradidit: sicuti talia & nunc quoque Christianorum non sunt. Sed ipsum etiam Christum Dei perspicuè uiderunt. Siquidem & Abrahæ illum apparuisse, & responsa dedisse Isaaco & Israeli, Mosiq̄ & prophetis post ipsum loquutum esse iam antea declaratum est. Vnde & pios illos Christi agnomen sortitos esse, inuenies, iuxta uocem de illis dictā, nempe, Ne attingatis Christos meos, & contra prophetas meos ne maliciose agatis. Manifestum itaque est hanc pietatis inuentionem virorum illorum, qui temporibus Abrahæ piè vixerunt, quæ nuper per Christi doctrinam cunctis est gentibus annuntiata, primam esse omniumq̄ antiquissimā & vetustissimam.

Si verò obijciant, Abrahamum longo post tempore circūcisionis accepisse mandatu, At antequā accepisset illud, iustitiā per fidem

fidē testimoniū adeptus accepit, diuina scri-  
 ptura ad hunc modū dicente, Credidit Abra-  
 ham Deo & reputatum est ei ad iustitiam.  
 Et cū ante circumcisionem talis esset, fa-  
 ctum est ad eum oraculū à Deo, qui seipsum  
 illi ostendit. Hic autem ipse Christus sermo  
 Dei de illis qui posterioribus temporibus eo  
 dem modo quo ipse Abraham essent iustifi-  
 candi, his illi uerbis promisit, dicens, Et be-  
 nedicentur in te omnes tribus terræ. Item,  
 Et eris in gentem magnam & populosam:  
 & benedicentur in te omnes gentes terræ.  
 Hoc autem in promptu cognosci potest, cū  
 in nobis sit adimpletum. Nam ille fide in ser-  
 monem Dei Christum, qui illi apparuerat  
 iustificatus est cū patriam superstitionem  
 priorisq; vitæ errorem reliquisset, ac vnum  
 omnium Deum confessus esset, & hunc o-  
 peribus virtutis, non Cæremoniis Mosaicæ  
 legis, postea sequutæ, colere cœpisset. Tali  
 existenti dictum est, Omnes in te tribus et  
 cunctæ gentes benedicentur. Operibus au-  
 tem clariorib. quàm sint verba, quæ in præ-



senti apud solos Christianos per vniuersum orbem exercentur, idem ille modus pietatis Abrahæ euidentis est factus. Quid igitur impedit, quò minus vnã & eandem vitæ conuersationem pietatisq; rationem communem esse & nobis, qui post Christi tempora, & illis, qui olim piè vixerunt confiteamur: ita vt restauratio illa pietatis, quæ per Christi est nobis tradita doctrinam, nec noua nec peregrina, sed si quod verum est dicendum sit, prima & sola vera esse demonstretur?

COMPENDIUM VERÆ  
doctrinæ Christianæ.

S. Bernardus in Serm. I. de Annun-  
tiatione beatæ virginis Mariæ.

2. Cor. I.



GLORIA nostra hæc est, ait  
Apostolus, testimonium con-  
scientiæ nostræ: non quidem ta-  
le testimonium quale superbus  
ille

ille Phariseus habebat seducta & seducti Lucæ 18.  
 ce cogitatione, testimonium perhibens de se  
 ipso. Et testimonium eius verum non erat: Rom. 8.  
 sed cum spiritus testimonium perhibet spi-  
 ritui nostro. Porro hoc testimonium in tri-  
 bus consistere credo. Necessè est enim pri- 1  
 mo omnium **CREDERE**, quod remis-  
 sionem peccatorum habere non possis, nisi  
 per indulgentiam Dei. Deinde quod nihil 2  
 prorsus habere queas **OPERIS** boni, ni-  
 si & hoc dederit ipse. Postremò quòd æter- 3  
 nam vitam nullis potes operibus **PRO-**  
**MERERE**, nisi gratis detur et illa. Quis 1  
 enim potest facere mundum de immundo Iob. 5.  
 conceptum semine, nisi qui solus est mun-  
 dus? Vtique quod factum est, non potest  
 non fieri: ipso tamen non imputante, erit  
 quasi non fuerit. Quod Propheta quoque Psal. 31.  
 considerans ait, Beatus vir cui non impu-  
 tabit Dominus peccatum. De operibus ue 2  
 ro bonis certum omnino est quod nemo hæc  
 habeat à seipso. Nam si stare non potuit hu-  
 mana natura adhuc integra, quantò minus

poterit per se ipsam resurgere iam corrupta? Certum est ad suam originem uniuersa, quantum in eis est, tendere, & in eam partem semper esse procliuiora. Sic & nos qui de nihilo creati sumus, constat quia si nobis ipsis relinquimur, in peccatum (quod nihil est) semper declinamus.

3 Iam verò de æterna vita scimus, quia non sunt condignæ passionis huius temporis ad

Rom. 8. futuram gloriam, nec si vnus omnes sustineat. Neque enim talia sunt hominum merita, ut propterea vita æterna debeat ex iure, aut Deus iniuriam aliquam faceret, nisi eam donaret. Nam vt taceam quòd merita omnia dona dei sunt, et ita homo magis propter ipsa debitor est deo, quàm deus homini,

1. Reg. 16. quid sunt merita omnia ad tantã gloriã? Deniq; quis melior est propheta, cui dominus ipse tam insigne testimoniũ perhibet, dicẽs, Vtrum inueni secundũ cor meũ: veruntamẽ et

Psal. 143. ipse necesse habuit dicere Deo, Non intres in iudicium cum seruo tuo. Nemo itaq; se seducat: quia si bene cogitare voluerit, inueniet

niet procul dubio quòd nec cum decem mili-  
bus possit occurrere ei qui cum viginti mili-  
bus venit ad se.

Verùm hæc quæ nūc diximus nō omnino  
sufficiunt, sed magis initiū quoddā & velut  
fundamentum fidei sunt habenda. Ideoq; si  
credis peccata tua non posse deleri, nisi ab  
eo cui soli peccasti, & in quem peccatum  
non cadit, bene facis: sed adde adhuc vt &  
hoc credas quia per ipsum tibi peccata do-  
nantur. Hoc est testimoniū quod perhibet in  
corde nostro spiritus sanctus, dicēs, Dimissa **Luca 7.**  
sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur  
Apostolus gratis iustificari hominem per **Rom. 3.**  
dem. Ita de Meritis quoq; si credis non pos-  
se haberi, nisi per ipsum, non sufficit donec  
perhibeat tibi testimoniū spiritus verita-  
tis, quia habes ea per illum. Sic & de vi-  
ta æterna habeas necesse est testimoniū,  
quòd ad eam sis diuino munere peruēturus.  
Ipse enim peccata condonat: ipse donat me-  
rita, & premia nihilo minus ipse redo-  
nat.

1 Porro testimonia illa credibilia facta sunt nimis. Nam de remissione quidem peccatorum validissimum teneo argumentum

Heb. 12. Dominicam passionem. Vox siquidem sanguinis eius inualuit multo plus quam sanguinis Abel, clamans in cordibus electorum remissionem omnium peccatorum.

Rom. 4. Traditus est enim propter peccata nostra. Nec dubium quin potentior & efficacior sit mors illius in bonum, quam peccata nostra in malum. De bonis autem operibus argumentum nihilo minus efficax mihi Resurrectio eius. Quia resurrexit propter iustificationem nostram. Porro de spe premio

Ephe. 4. rum testimonium eius est ascensio, Quia ascendit propter glorificationem nostram. Hæc tria in Psalmis habes, dicente Prophe

Pfal. 31. ta, Beatus vir cui non imputabit Domi-

Pfal. 84. nus peccatum. Et alibi, Beatus vir, cuius

Pfal. 65. est auxilium abs te. Item alibi, Beatus quem elegisti & assumpsisti, habitabit in atrijs tuis.

Hæc est gloria vera, gloria inhabitans:  
quia

quia ab eo est qui per fidem inhabitat in cor Ephe. 3.  
 dibus nostris. Filij uerò Adam gloriam quæ  
 ab inuicem est quærentes, gloriam quæ à so Ioan. 7.  
 lo Deo est, non volebant: sed sic gloriam  
 extrinsecus fluentem sectantes habe-  
 bant, gloriam non in semetip-  
 sis, sed in alijs  
 magis.

## ERRATA.

- Fol. 5. lin. 19. leg. Clodoucum.  
 Fol. 36. lin. 13. leg. uocari.  
 Fol. 43. lin. 13. leg. in ecclesia.  
 Fol. 57. lin. ult. lege una eaq̄, &c.  
 Folio 65. lin. 6. leg. pro uobis datur.  
 Fol. 67. lin. 6. leg. offenderetur.  
 Fol. 72. lin. 1. leg. ut nos derelicto.

175062-5

EXCVDEBANT TIGVRI  
ANDRÆAS GESNERVS  
IVNIOR, ET RODOLPHVS  
VVYSSENBACHIVS,  
MENSE OCTO-  
BRI. ANNO  
M. D. LI.

I  
S  
S







